



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

31. An quando Religiosus moritur nondum accplicatis Indulgentiis à Pontifice obtentis, possit ejus Superior de illis disponere? Et adducitur, quod Superior Regularis possit suorum Subditorum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Criet publicæ, vel Imagini, siue Statuæ includunt vt orantes ad illam Indulgentiam lucentur. Et ita docet Marchant. in Tribun. Sacram. tom. 3. tract. 5. tit. 1. q. 7. in fine, cum Gobat, ubi supra, p. 2. cap. 17. num. 440. cui tamen hoc concedit posse fieri ad priuatum Oratorium, seu Capellam, eo quod Leo XI. in formula Indulgentiarum, quas concessit Cardinalis à Dietrichstain, poluerit hæc verba: qui in Capella, seu Oratorio, in quo fuerit una ex benedictis rebus, &c. verba autem posterorum Pontificum sunt intelligenda secundum sententiam à prioribus expressam; nam Pontifex in dubio censetur Prædecessorum vestigia sequi, Argum. c. Verum de hœreticis. Sed de hoc valde dubito, nam, vt ait Marchant, ubi supra; est medallia de se, & ex instituto largientis Indulgentiam Symbolicam personale, pro eo quod eam gestat, velut in ciuilibus, vel Ecclesiasticis distributionibus plumbum, ad cuius refectionem persone repræsentanti panis, pecunia, vel aliud distribuitur.

4. Et tandem nota id quod obseruat dictus Marchant, loco citato, quæst. 6. ubi sic ait: Arbitror externæ Dialecticæ hominem orantem ante Imaginem B. Virginis, ad quam Episcopus 40. dies Indulgentiæ orantibus contulit, lucrari eadem ratione Indulgentiam. Non est tamen istius opinionis, quod Imaginem extra Diocesim translata, illam Indulgentiæ collatio comitaretur; quia Episcopus extra Diocesim Indulgentias dare non potest propria auctoritate. Me sane Romæ anno 1634. existente Eminentissimus Cardinalis Pamphilus, qui modo Apostolicam Sedem feliciter regit Innocentius X. grauissimè insectabatur Indulgentias illas imaginibus mobilibus applicatas, quod variorum abusuum in sui translatione causa esset: Vnde cum eius fauore impetranda esset à Sanctissimo D. Urbano VIII. benedictio vnus præclare imaginis Deiparæ, vt in Belgium transferretur, iussit Pontifici, vt Indulgentias non imagini, sed vni Altari stabilis, in quo Imago immobiliter poneretur, assignaret. Ita ille,

RESOL. XXXI.

An quando Religiosus moritur nondum applicatis Indulgentiis a Pontifice obtentis, possit eius Superior de illis dispensare? Et adducitur, quod Superior Regularis possit suorum subditorum satisfactiones, & preces applicare Benefactoribus propter interpretatum consensum subditorum, vel de satisfactionibus eis superflue cedant in emolumentum habentium cum illis participationem bonorum operum. Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Resolutione 6.

Alus est curiosus, & practicabilis, & ad illum negatiuè respondet doctus, & amantissimus P. Pellizzari, in manual. Regular. tom. 1. tract. 8. cap. 5. n. 233. sic ait: Quod si quæras, an casu, quo alicui Religioso concedatur Indulgentiæ applicanda Imaginibus, Coronis, &c. si is moriatur illis nondum applicatis, & hoc certo constat eius Superiori, is possit eas applicare absque eo quod Religiosus ante mortem, talem facultatem ipsi subdelegauerit; Respondetur non posse. Ita Baldellus, Bordonus, & alij docti Viri à me consulti, probantque ex eo quod in tali concessione dicitur industria personæ, & ipsa concessio est priuilegium quoddam personale, quod definit in persona: quod tamen non facit quin dictus Religiosus viuens potuerit subdelegare præfatam potestatem, cum Delegatus Papæ possit subdelegare, vt bene notarunt relati Doctores, qua de re consulatur Pasqualigus, dec. 492. Hæc quoque Pellizzarius.

Tom. IV.

2. Sed nouissime affirmatiuam sententiam inuenio docere Patrem Gobat in Theaur. Indulg. part. 1. c. 11. quæst. 35. num. 131. ubi sic ait: An quando Religiosus moritur nondum applicatis, vel distributis intentionibus Indulgentiarum, quas habuit, possit eius Superior liberè de illis disponere? Respondetur posse, nam ex vtriusque parte militat bona ratio ad hoc asserendum: Ex parte quidem subditi, quia nullus Religiosus est, qui ante mortem interrogatus non pronunciet, se ita velle, & qui non saltem semel in vita apud se dixerit cupere se vt omnia sua cedant, quoad fieri potest, in maius Dei, & proximi obsequium. Atqui cedent hæ intentiones in maius proximi emolumentum, si eas vsurpet Superior: Ex parte autem Superioris adest hæc ratio, quod is vtrique habeat generalem voluntatem omnibus suis suorumque bonis vtendi ad Dei gloriam, & proximi commodum, quoad potest. Quia voluntate posita, sibi iam virtualiter, & implicite illas intentiones, saltem sub conditione securitatis mortis, vendicauit, quando subditus agebat animam. Confirmatur inde, quod satisfactiones Religiosorum, eis superflue cedant in emolumentum, habentium cum illis participationem bonorum operum, item quod Superior Regularis possit suorum subditorum etiam ignorantium satisfactiones, & preces, applicare Benefactoribus, propter interpretatum consensum Subditorum. Loquitur autem de illo Superiore, qui toti Conuentui, seu Collegio præest, non de Priore Claustri, aut ministro. Ita Pater Gobat. Ego verò vtramque sententiam probabilem esse puto: sed magis adhæreo sententiæ negatiuæ.

RESOL. XXXII.

In Rubrica Indulgentiarum quinque Sanctorum dicitur, quod si omittatur granum, possit pro illa vice aliud subrogari. Sed queritur etiam inuenio primo, cui ex duobus Indulgentiis censeatur affixa remanere? Et an electio possit fieri per actum mere internum? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 33.

§ 1. Ad hoc dubium sic respondet Pater Lugo de Sacram. panis. 27. sect. 8. §. 3. n. 150. Solec aliquando concedi, vt si amittatur, vel rumpatur granum, vel imago habens talem indulgentiam, possit pro prima vice subrogari aliud granum, vel alia imago eum eadem indulgentia. De quibus dubitari possit, casu quo imago alia amissa fuit, & facta sufficienti diligentia non potuit inueniri; atque ideo electa fuit alia: an si postea prior inueniatur, adhuc hæc posterior retineat indulgentiam. Et quidem ego credo non amplius priorem, sed posteriorem habere indulgentiam, quia verificata fuit conditio, vt posset ritè eligi secunda, nempe quod prima fuisset amissa; ergo eo ipso legitime fuit electa alia, & cessauit prioris indulgentia: tutius tamen erit vtramque retinere.

2. Potes an illa electio possit fieri per actum mere internum: videtur enim exigi actus externus, sicut dicebamus requiri actum externum ad concessionem indulgentiæ: hæc quippe electio videtur esse concessio indulgentiæ ex facultate à Pontifice delegata. Verius tamen videtur sufficere voluntatem internam, quia illa deputatio non est concessio indulgentiæ: Pontifex enim solus concedit immediatè indulgentiam habentibus talem imaginem à me deputandam. Quod à posteriori patet. Primo, quia facultas concedendi indulgentias nunquam delegatur Laicis, aut foeminis; & tamen ij possunt determinare grana vel imagines. Secundo, quia qui indulgentiam proprie concedit, potest illam reuocare: qui autem semel deputauit talem imaginem,

R 2 non

N A  
nia  
L. IV V  
III

Sup. hæc sup in Ref. 28. §. Sed inquiramus.

Sup. hoc in Ref. not. præteritæ, §. ult.